ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Bene habet, Nobilissime Hugeni, quod Carmen meum nuncios Diis superis, terrestribus, ac infernis gratum fuisse. licet quos tu inferos vocas, apotheosi donare soleat & inter indigetes referre Praesul Tiberianus. Nec tamen repugno inferis accenseri, qui in inferos imperium sibi arrogant, et pallentes animas velut spirituales Mercurii ex orco evocant, et alias cum volunt sacro fulmine ad tristia tartara mittunt. Te vero ex eo loco incolumem evasisse gaudeo, ubi vel fato vel armis itum fuit ad generum Cereris. Saepius tui cura animum meum momordit, atque haesit sub pectore fixa, sive quis Antilochum narraret ab Hectore victum, sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis. Non quod credam te in acie stetisse, sed quia castrensi morbo multos perire ad nos perferebatur. Hactenus te servavit Apollo, et ut porro servet propitium Numen rogo ac precor. D. Brosterhuysium, quem mihi Scazonte commendas, pene indignor à tam multis mihi commendari. Totum et unum in animo gero, & ubi opportunum erit luculenta commendatione tradam iis, penes quos sic potestas est distribuendi munia publica. Factum etiam id ante à me & collega meo. Sed lentis hic maxillis non editur, sed deroditur. Expectandus alius fabarum iactus. Non loquar explicatius. Mitto versiculos, quos amicissimo viro, et convictori quondam meo, scripsi. Is Hamburgi fide coniugali egregiae virgini obstrictus statim à sponsalibus vivere desiit. Fasciculum adiunctum velim Nobilissimo Wylio per famulum tradi. reliqua exemplaria amicis distribue. Vale vir Nobilissime, et praestantissime, et memoriam mei sine subinde animo tuo recursare. Uxorem liberosque saluta. Amstelod. XII April. CIƆIƆCXXXII

Nobilitatis Tuae
observantissimus
Caspar Barlaeus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 55
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/741

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 55
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/741

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 55
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/741

Aen mijn heer
Mijn heer Constantinus Huijghens
heer van Zuylichem, Secretaris
van sijn Princelijcke Excellentie
woonende [illegible] ontrent het hoff,

Haghe

port
contant betaelt,

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 55
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/741